

DE  
CHRISTIANI WOLFII  
EDVCATIONE, STVDIIS IUVENILIBVS  
VITAQVE SCHOLASTICA  
MEMORABILIA QVAEDAM NEC DVM EDITA  
PVBLICE PROPONIT

---

ET  
PANEGYRIN  
OBSERVANTIAE PIETATISQVE  
SENATVI AMPLISSIMO

DECLARANDAE CAVSSA  
IN GYMNASIO GORLICENSI  
cIo Io cc LIIII. d. XI Nov  
INSTITVENDAM INDICIT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS  
AVGVSTI GYMNASII GORL. RECT

---

GORLICH; EXCVDEBAT IOH. FRIDER. FICKELSCHERERVS.

Biogr. erud.

d. 1697, 4

Kitt. Land. संग. - No - Wry

UNIVERSITÄT ZÜRICH

INSTITUT FÜR ANATOMIE

VERGLEICHENDE ANATOMIE

UND SYSTEMATIK

LEHRSTUHL

VERGLEICHENDE ANATOMIE

UND SYSTEMATIK

VERGLEICHENDE ANATOMIE

UND SYSTEMATIK

LEHRSTUHL

VERGLEICHENDE ANATOMIE

UND SYSTEMATIK

LEHRSTUHL

VERGLEICHENDE ANATOMIE



ondum uulnus, quod nuper CHRI-  
STIANI WOLFII, philosopho-  
rum, nostra aetate, facile principis, de-  
cessu Germaniae, uel, ut rectius di-  
cam, uniuersae Europae inflictum fuit, obductum  
ita est et percuratum, quin, tanti uiri recordatione,  
identidem recrudescat. Suum sibi praesidium ere-  
ptum dolet sublatumque ueritas, moerent litterae,  
et, ut quisque saeculi nostri, philosophiae lumine  
collustrati, felicitate maxime laetatur, ita grauissime  
fert obitum Viri, qui, ad asserendum ueri decus  
genitus, propter incredibile sapientiae ornandae  
prouehendaeque studium, uidetur omnino mori  
non debuisse.



Quantum uero sui desiderium reliquit Vir Illustris, tantam nominis famam, patefacto ad immortalitatem aditu, consecutus est, tamque longam sui effecit memoriam, ut eam nulla sit obliuio oblitteratura. Dudum enim omnium, uel maxime distitarum, gentium oculos animosque in se conuertit, et uniuersam, qua cultioribus litteris sapientiaeque statuit pretium, Europam stupore et admiratione detinuit.

Huius ergo incomparabilis, et post hominum memoriam acutissimi, philosophi, cuius nomen Germanis uenerabile existit, quem Galli admirantur Germaniaeque inuident, quem suspiciunt Belgae, quem reuerentur Itali, quem colit septentrio et obseruat, quem Britanni ferunt laudibus, cuius decora et merita tot gentes aliae ornant maectantque honoribus, huius, inquam, WOLFII memoriam in Gymnasio nostro commemorando reuouari, posterisque tradi, iubet pietas. Inprimis uero ex eo non omnino nullum fructum ad iuuentutem, sapientiae litterisque deditam, redundaturum putauimus, si quae ipse de uitae scholasticae, quam inierit quondam, ratione sua perscripsit manu, paucis commemorare parem.

Decem

Decem, amplius, sunt anni. cum, suasu rogatuque amicorum, uitam fataque WOLFII latine exposui, forasque, at tecto nomine, dedi. Subtymide enim, ut tum erant tempora, hoc negotium in me susceperam. Quos conatus nostros cum WOLFIO minus displicuisse, intelligerem, ad ipsum, itinere Vitembergam, inde Halam suscepto, uisebam, consiliumque meum uitam ipsius copiosius commemorandi coram aperiebam. Subridens ille primum et permodestus, ut solebat, “quam tu, “inquit, putas, ab eruditis initurum gratiam, si uiri, “qui, paucis notus, in obscuro latet angulo et tenebris, uitam, quam nosse perpaucorum interest, “scripseris?”

At tandem, diu multumque meis oblectatus precibus, promisit, se commentarios de uita fatisque suis, sua scriptos manu, si qui in scriniis asseruantur, propediem ad me missurum. Stetit promissis. Paulo enim post ad Consultissimum GEHLERVM, ciuitatis nostrae Consulem meritissimum, quo, dum uixit, familiarissime usus est, ἀντίγραφον misit, quod, a Viro Excellentissimo mecum perbenigne communicatum, amplam uitae Wolfianae copiosius enarrandae materiam suppeditat.



Dudum, certissimo hoc subixus documento, publicassem, quae de uita fatisque suis eruditos uolebat scire WOLFIVS. At consilio meo cum alia plura intercesserunt, tum quod occurrebant nonnulla, quae rectius tutiusque, mortuo, quam uiuo, WOLFIO, poterant commemorari.

Visum nunc est, ea potissimum ex hoc ἀπογράφῳ feligere, quae ad infantiae pueritiaeque WOLFIANAE annos pertinent, exercitationibusque, quas in scholis Gymnasioque obiit, cognoscendis inseruiunt. Prolusionem hanc ideo uitae WOLFII, abs me propediem uberius enarrandae, praemitti uolo, ut iuuenibus, fidei meae et disciplinae concreditis, imaginem non modo ad intuendum, sed etiam ad imitandum proponam, quam dum oculis animoque suo, in instruenda studiorum scholasticorum ratione, subiiciunt, animum et mentem ipsa cogitatione tanti, tamque exquisitae docti, philosophi conformandi oblatam sibi uident occasionem.

Silesiam suis illustrauit natalibus WOLFIVS, Vratislaviae, anno superioris saeculi nono et septuagesimo, IX Calend. Febr. (d. xxiv Januar.) post horam VII. uespertinam, cum dimidia, auditam in lucem editus est. Quamquam, qua quisque hora, quoue horae momento natus sit, parum referre uidea-

uideatur, ii tamen, qui ex cuiusque hominis genitura futuros euentus fatorumque uicissitudines prospici posse et praedici existimant, in eruditorum uitis enarrandis apprime utile esse, aiunt, ut genitilis indicetur hora, qua curatius cognita, fata se hominum dicturos pollicentur. Quorum quidem sententiae quamuis non magis accederet WOLFIVS, quam Fauorinus, philosophus, apud Gellium, (1) fuere tamen nonnulla, quae ipsum permouerunt, ut horam, qua nascens primum uitalem hunc spiritum hausit, notandam et in commentarios suos referendam putaret.

Jenae cum in Mathesin diligentius incumberet, astrologiae, quam uocant, iudiciariae a multis, nec iis indoctis, uiris plus, quam concedat ueritas, tribui intellexit. Quare, ne quid in artis huius mysteriis curiosius rimandis intentatum relinqueret, ipse, iuuenili elatus impetu, uerique sciendi ductus studio, hora natalis num sibi esset fatalis, exquirere allaborauit, ex praeteritis praesentia, ex praesentibus futura auguraturus. Calculo ergo subducto, rationibusque scrupulosius initis, uidit inuenitque multiplicem fatorum uarietatem, exitu, quod mireris, post multos demum annos, comprobata. (2)

Nascendi

(1) Lib. XIV. c. 1. (2) Memoratu digna sunt, quae in MS. *αυτογράφω* inueniuntur, uerba WOLFII: Als ich in Jena die Mathematik studirte, stellte



Nascendi fortuna nactus est parentes, non splendido illos quidem illustrique loco natos, at pios, honestos, et in filio suo, qui in sex liberorum ordine secundus erat, liberalius educando, adornandisque futurae doctrinae praesidiis continenter occupatos. Patre usus est ciue Vratislaviensi, qui et domicilium Vratislaviae habuit, et honesto nec illiberali opificio uictum sibi parauit, in coriis, alumine subigendis, et ad usum aptandis operam consumens.

Quanta animi uoluptate filiolum recens natum ulnisque gremio exceperat suis pater, tanta animi sollicitudine eundem curauit educandum. Ipsum ergo, religionis Christianae initiatum mysteriis, et sacro lauacro d. xxv. Januar. die, quo memoria Pauli, ad Deum conuersi, quotannis recolitur, in templo Magdalenaeano a peccatorum sordibus re-  
pur-

stellte ich mir die Nativität, wiewol ich es nicht ganz vollführen mochte. Ich brachte heraus, daß ich in unverdiente Ungnade eines Königes verfallen würde, der es aber nach der Zeit erkennen würde, und mir besondere Gnade erzeigen. Als nun die Fatalität in Halle sich ereignete, fand der sel. Herr Thümmig, der meine Sachen in meiner Abwesenheit einpacken mußte, was ich davon aufgezeichnet hatte, unter meinen Papieren, und schickte mir es nach Marburg. Da ich auf die Astrologie niemals etwas gehalten, auch noch nicht halte, schrieb ich dieses, als was besonders an den iezigen Staatsminister in Stuttgart, den Herrn Bülfinger, (zumal, da noch darzu kam, daß mir die Fatalität einige Zeit vorher geträumet, ehe sie mir begegnet) welcher es wieder in der Schweiz bekannt gemacht, daß es noch A. 1724. in den daselbst gedruckten Neuigkeiten publiciret ward. Nun der Ausgang hat gewiesen, daß auch der andere Punkt, von der Wiedererlangung der Gnade des Königes eingetroffen.



purgatum, qua poterat, fide uigilantiaque formabat, ita, ut, quos uirtutum honestatisque igniculos, naturae bonitate, in filioli animo insitos obseruabat, eos in dies magis magisque exluscitaret.

Quamquam enim cum temporum, multis calamitatibus insignitorum, difficultatibus mirum quantum WOLFII parentibus conflictandum erat, innumeraque, ut fere fit in armorum strepitu, obstacula numerosae prolis, trium nimirum filiorum totidemque filiarum, educationi intercedere, animaduvertebant, in educando tamen CHRISTIANO tantum ponebant studii, ut uel hic unus, qui formaretur instituereturque sollicitissime, dignus ipsis uideretur. Inprimis pater, nihil rerum omnium erat, quod mallet, quam filium, quem iam, utero inclusum materno studiis liberalibus consecrauerat, 3) eruditum euadere.

Optatis parentum mire respondit pueruli indoles, quae in ipso fulgebat egregia. Vix tertium compleuerat annum, cum libros, ut quique in manus inciderant, arriperet, iisdemque unice uideretur pasci, discendi cupiditatem, tanquam sitim, te-

b

stinctu-

(3) De quo ita WOLFIVS in *αὐτοβιογράφω*: Mein Vater hat durch ein Gelübde mich dem Studiren gewidmet, ehe ich noch zur Welt kam, und daher auch nach seinem Vermögen nichts gespart, was diesen Vorsatz zu befördern von nöthen wäre.



stincturus. Obuium quemque de litterarum" ui ac potestate balbutiens interrogabat, non, nisi elementis animo memoriaque comprehensis, conquiescendum sibi arbitratus.

Vbi paullo adoleuerat, cum patre, qui olim in litteris eas iam progressiones fecerat, ut, ad primum usque Elisabethani Gymnasii ordinem prouectus, academiam meditaretur, at post mutato consilio, opificium, parentum iussu, deligeret, cum hoc, inquam, indulgentissimo patre totos dies interrogando, audiendo, discendoque consumebat. Ab hoc uocabula flectendique uoces rationem, perlusum, et quasi aliud agendo, discebat, ita, ut, officina coriarii in scholam conuersa, nunquam, nisi doctior, inde rediret.

Ita paullatim uiam sibi muniri, uidit WOLFIVS, ad scholas, Vratislaviae publica constitutas auctoritate, utiliter frequentandas, in quas, nondum completo octauo aetatis anno, introductus, mira proficiendi celeritate, compluribusque ingenii praecocis experimentis editis, incredibilem sui expectationem concitauit.

Quantum in schola ad humanitatem omnisque sapientiae cultum instituebatur, tantum domi, duce  
ac


ac monitore patre, pietatis exercitationibus quotidie distinebatur, uel in diuinioribus litteris nauiter explorandis occupatus, uel orationibus sacerdotum sacris audiendis, calamoque excipiendis intentus. Quo pietatis sensu cum imbueretur puerulus, mirum nemini uideri debet, animum eius, uerae religionis amore altis defixo radicibus, ita munitum fuisse aduersus illecebras corruptelasque saeculi, ut id omne, quod foedum inceptu, foedum exitu, uehementer, dum uixit, oderit, nec, nisi quod iustum honestumque esset, confectaretur. (4)

In Gymnasio Magdalenaeo profecit sub magistris haud poenitendis, quorum nonnulli famam nominis sunt consecuti. Initia solidioris doctrinae didicit a Pohlio, cui plus, quam ceteris, quos audierit, omnibus se debere, gratus professus est. Ab hoc ad humanitatem informatus, graecam et latinam linguam auide arripuit. Hunc, ordinis secundi alumnus, priuatim audiuit, inuitatus liberalitate optimi uiri, qui nihil ad quaestum referebat, iuue-

b 2

num,

(4) Ita de se scripsit: Meine Eltern haben mir von der ersten Kindheit an große Liebe zur Gerechtigkeit, und einen Haß gegen die Ungerechtigkeit, auch einen Eifer für die Religion und Gottesfurcht beygebracht. Daher ohne Unterscheid der Bitterung, alle Predigten des Sonntags, auch schon um 4 Uhr die Frühpredigten, wie auch die Wochenpredigten in der Hauptkirchen, besucht. Dabey zu Hause die Bibel täglich gelesen, und die in den Kirchen gewöhnl. Lieder auswendig gelernet.



num, ac decus et gloriam excitatorum, inopiae, quoquo modo fieri posset, subueniendum arbitratus.

Multum utique, gratus praedicat **WOLFIVS**, se cepisse utilitatis ex Pohlii recitationibus, at plius ex colloquiis, domi cum ipso familiarius habitis. Transierat in amicum praeceptor, sui que adeundi copiam uni omnium maxime **WOLFIO** fecerat. Qua quidem ex congressione familiari conuictuque quotidiano nunquam, nisi doctior meliorque, discedebat, uel exquisitiori librorum, quos legeret, cognitione instructus, uel consiliis, rationi studiorum prudenter in eundae accommodatis, adiutus.

Fit ita fere, ut, in quibus aliquando nos excellere, et ad summa peruenire uult provida Dei cura, ad ea, inde usque a teneris, quod aiunt, unguiculis, occulta quadam Numinis ui impetuque interno, feramur, trahamur, et, uel inuiti, rapiamur.

Quod quidem luculentius **WOLFII** exemplo uidetur comprobari. Hic enim cum, diuino consilio, destinatus esset ad superstitionem saeculi oppugnandam, tenebras, quibus circumfusa erat philosophia, discutiendas, rationique, de folio uelut deiectae, pristinum decus dignitatemque reddendam,

dam, mirum non erat, quod adolescentulus et paene puer ad tam memorabile tantique momenti negotium, abditis quibusdam acrioribusque concitatus stimulis, se praepararet. In linguarum cultura non eum sibi partum inuenisse uisus est, quo mens, rerum cognoscendarum auidissima, expleri posset. Quare, cortice relicto, nucleum gustaturus, ad philosophiam se contulit, philosophorumque scholis diligenter interfuit.

Tum temporis innumeris scholasticorum foribus inquinata erat philosophia, et utilissimis quibusque doctrinis multa nox erat offusa, ita, ut, si quis cogitationes suas ac studia ad eam referret, nihil aliud uideretur agere, quam barbarorum gregem augere. Quotquot enim, uel in academiis, uel *Gymnasiis philosophiam interpretabantur*, tum demum sibi aliisque uidebantur sapere, si, quos nemo intelligeret, terminos proferrent, si, quod clarum erat, id redderent obscurum, si in uerbis et captiunculis haerent, aut contortulis quibusdam sophismatibus fucum facerent aliis.

In hos ergo philosophiae scholasticae hortos cum se deductum uideret WOLFIVS, flosculos, quos decerperet, frustra quaesuit, lolio ubique dominante, sterilique auena. Non tamen remisit studium,



dium, sed, animo ad cogitandum composito, lucem scholasticorum tenebris inferre, et, quae cuique termino subiecta esset sententia, diligentius exquirere coepit. Ita se gerendo tantas in philosophia fecerat progressionem, ut, ad differendum aptissimus, exercitatissimos, quin ipsos per saepe Loiolitas, uel ad certamen prouocaret, uel prouocatus erudite promteque dissentientium infringeret argumenta, et, inciso feliciter dubitationum neruo, uictor ex pugna discederet.

Quamquam ergo, tanto subtilitatum scholasticarum apparatu instructus, eruditissimis, qui tum Vratislaviae numerabantur, philosophis, et in his maxime HANCKIO, WOLFIVM, in academiam abiturum, examinanti, et Metaphysicae scholasticae peritissimo, satis faciebat, sibi tamen suaeque ueri cognoscendi cupiditati nondum fecerat satis.

Cum enim, Logica adiutrice, uerum inueniri posse, ex amicis accepisset, quiduis uero potius, quam artem uerum inueniendi, per scholasticae Logicae regulas adiuuari, intelligeret, parum aberat, quin, philosophiae pertaesus, de philosophandi utilitate desperaret. In quo se confirmari senserat crebrioribus GRYPHII, philosophiae scholasticae infensissimi, dictariis, quae eo ualebant, ut philosophiam,

phiam, (neque enim tum temporis poterat aliter  
facere uir eruditissimus,) risui omnium exponeret,  
nolletque auditorum suorum quemquam philo-  
sophari.

Hic GRYPHIVS, qui inter praeceptores  
WOLFII primo loco nominari debet, tanta ele-  
gantioris litteraturae omnisque historiae scientia  
erat instructus, ut difficile uideretur iudicatu, prae-  
stantiorne in ipso historicus, an orator aut poeta,  
emineret. Huius ergo polyhistoris studio et dex-  
teritate per amplum politioris litteraturae circum-  
ductus, uarios libros, uariasque rei litterariae eru-  
ditaeque sapientiae uicissitudines cognoscendi fa-  
cultatem sibi oblatam sensit. Docendi ratione  
Gryphiana mirifice delectabatur, sibi que illud in-  
primis in academiis magno fuisse usui praedicauit,  
quod Gryphius omnia, quae doceret, latiusque  
explicaret, ab auditorum optimis, quos ad id de-  
legerat, subito excipi calamo uellet. Qua quidem  
exercitatione orationis, qua utitur docens, con-  
textum perite et ita excipiendi, ut ad mentem  
doctoris intelligendam nihil desit, nihil redundet,  
mire se ad aemulandum uimque attendendi acuen-  
dam incitatum esse, scribit WOLFIVS. (5)

Nihil

(5) De Gryphiana docendi ratione iuuat WOLFII uerba adponere.  
Gryphio habe ich auch, inquit, etwas besonders zu danken. Er hatte  
die

Nihil, praeter philosophiam, in scholis Gryphia-  
 nis, nihilque, praeter lucem, in ipsa ceterorum do-  
 ctorum philosophia desiderabat WOLFIVS, qui  
 ab illa ita seiungi, ita fastidio alienari non poterat,  
 quin, quemadmodum infans ab uberibus auulsus ad  
 matrem, sic ad eam oculos mentemque identidem  
 referret. Anxie de uero, philosophiae ope, inue-  
 niendo sollicitus, peropportune, commendatore  
 Pohlio suo et Neumanno, Theologo et ingenii et  
 uitae emendatissimae, in philosophiam incidit Car-  
 tesia-

Die Gewohnheit, daß er in seine Lectiones stets viele Bücher brachte, indem er nicht allein selbst eine ausgelesene Bibliothek besaß, sondern auch die kostbare Bibliothek des Hrn. Baron von Logau, die nach diesem an den weimarischen Hof kommen ist, zu seinem Gebrauch hatte, um viele Loca aus denselben vorzulesen. Einige wenige, worunter er auch mich ausersahen hatte, mußten die ganze Lection währenden Docirens ex tempore aufschreiben, und in einem zusammenhängenden Discurs bringen, zu Ende der Lection aber, wenn er aufgefordert war, vorlesen. Er war ein sehr hitziger Mann, der gleich zornig ward, wenn das geringste Momentum ausgelassen, oder etwas nicht nach seinem Sinn niedergeschrieben war: hingegen lobte er ungemein einen öffentlich, wenn man es recht gemacht hatte. Und dieses war ein Stimulus, daß man einander amulirte, und zu besonderer Attention aufgemuntert worden. Daher geschah es, daß, als der sel. Hr. Prof. Hamberger meinen Discurs, den ich aus seinem Munde über Sturmii Physicam conciliatricem nachgeschrieben hatte, zu Gesichte bekam, er sich wunderte, wie ich es prästiren könnte, zumal, da er wußte, daß ich damals erst auf die Universität kam. Gryphius war ein Feind von der Philosophie, und suchte dieselbe aus dem Aristophane lächerlich zu machen, insonderheit auch von der Algebra. Daher durfte ich es nicht merken lassen, daß ich mich in iener fleißig übte, und zu dieser eine große Lust hatte. Dennoch gefiel es ihm, als ich in dem Examine wegen des Stipendii dem Rectori Elisab. Gymnasii Hrn. Hancken, der ein Crizmetaphysicus war, so wohl antworten konnte, welches Hr. Berndt in seinem Lebenslaufe öffentlich bezeiget, der mit mir zugleich examiniret wurde. Ex MSpto ἀπογραφή.



tesianam, non numeris omnibus expletam illam quidem, at scholastica multo luculentio-rem. Cartesium in philosophiam, quae contemplatione continetur, lucem intulisse, inueniebat gaudebatque, at eundem, cum uideret, de morum doctrina, integritati suae reddenda, parum cogitasse, ipsum, tum iuuenem nondum uiginti annorum, incredibilis quaedam incessabat cupido, eam philosophiae partem, qua mores conformantur, emendandi, nouisque locupletandi accessionibus.

Cui quidem consilio, ad felicem peruehendo exitum, inferuire Tschirnhausenii mentis medicinam, credebat, ex quo quidem libello uiam rationemque nouas eruendi ueritates omnium facillime cognosci posse sibi persuasit. Legebat ergo Tschirnhausenium, (6) in spem certissimam magnae inde hauriendae eruditionis ingressus. At cum Tschirnhausenii medicinam, nisi rei mathematicae scientia excultus, legere, certe intelligere, nemo possit, haerebat WOLFIVS, ἀγνώμετρος adhuc ubiuis subtimide, multasque, quae ipsum, ulterius progressurum, remorarentur, difficultates incidere sensit. (7)

c

Acces-

(6) Cum Tschirnhausenio coniunxit Agricolae Tractat. de Arte dialectica, ad scholasticorum ineptias rectius perspiciendas.

(7) vid. Rat. Prael. p.m. 104.



Accessit ergo, quanta rei bene gerendae fiducia, tanto successu ad Mathesin, cuius, solide discendae, dolebat, nullam sibi occasionem Vratislaviae oblatam. Qui enim in Gymnasio mathesin docebant, in figurarum mathematicarum nominibus explicandis, usuque globorum, coelestis et terrestris, demonstrando occupati, ultra progredi nec uolebant, nec poterant quidem. De quo conqueritur in ratione praelectionum, “quae in Gymnasio patrio, inquit, docebatur mathesis, ultra terminorum explicationem “et figurarum descriptionem non extendebatur. (8)

Percupide, sciendi expleturus sitim, prisca recentiorisque aevi libros mathematicos enoluebat, Euclidem imprimis, Clauui enarrationibus illustratum, in Algebra ipsum Clauium, in Arithmetis Horchium, Frisium, alios. (9)

Nescio,

(8) p. 122. (9) Ita Wolfius de se ipso: In Breslau hatte ich zwar große Lust Mathesin zu erlernen, allein keine Gelegenheit darzu, indem außer dem usu Globorum coelestis et terrestris, und den Zeichnungen der Geometrischen Figuren, nichts gelehret ward. In meiner Kindheit, ehe ich das zehende Jahr erreicht hatte, bekam ich des Frisii Arithmetica in die Hand, wie ich erst etwas Latein zu verstehen anfing, und daraus erlernte ich vor mich das Rechnen, selbst die Extractionem radicum, sowol cubicae, als quadratae. Einige Jahre darnach kam mir Horchens Rechenkunst in die Hände, daraus ich den Calculum litteralem erlernte, und eine obzwar sehr schlechte Idée von der Algebra bekam, wovon sonst kein Buch konnte zu sehen bekommen, als auf der Bibliothek Clauui Opera. In der Geometrie konnte ich nicht recht fortkommen, weil mir die Lust bald vergieng, da nicht sahe, wozu ich die Propositiones gebrauchen sollte, und da ich Clauui Euclidem hatte, waren mir die Demonstrationes zu weitläufig, indem ich allzuhißig war, eine Sache bald zu begreifen. Ex MSto ἀπογράφω.

Nescio, an adiiciam, in Theologia, cui se consecrarat, longius iam in Gymnasio progressum esse WOLFIVM, quam multi uix in Academia progredi soleant. A Krantzio, historiae sacrae doctore solertissimo, didicit fata uicissitudinesque ecclesiae, et Theologiam, negavit, recte et cum fructu disci, nisi historiae ecclesiasticae praesidia praefulciantur.

A Neumanno, at quanti nominis Theologo! cum, quoties ad populum de rebus diuinis diceret, tum, quum in Gymnasio, ex officii ratione, omnes Theologiae partes perspicue, copiose, et grauitraderet, ab hoc, inquam, doctissimo Neumanno ad fontes purioris doctrinae combibendos deduci se gaudebat. Hoc duce, non modo Theologorum, qui se purioribus sacris, a Luthero emendatis, addictos profitentur, scripta diligentius lectitabat, sed, rationes quoque secus sentientium suis ponderabat momentis, se aduersus errorum corruptelas muniturus. (10)

Vides,

(10) Die Theologie verstund ich schon gut, wie ich auf die Universität reisete, daß ich nichts darinnen zu lernen nöthig zu seyn erachtete; wie ich denn auch in der That bezeigen kann, daß ich in Collegiis zu Jena nach diesem weniger gehöret, als ich schon wußte. Im Gymnasio wurde dazumal Koenigii Theologia positiva erkläret, darneben ich Bechmanns Annotationes in Compendium Hutteri las. Weit mehrers aber habe insonderheit aus Neumanns Predigten und Lektionibus gelernet. Und weil vernahm, daß die reformirten Theologi weiter als unsere in ihren Schriften giengen, so las zugleich Görtleri Institutiones Theologiae, und Burmann



Vides, Lector, WOLFIVM, quem ad summa omnia excellens armaverat ingenium, eo, iuvenem et adolescentulum, peruenisse, quo vix centesimus quisque, in academiis diu commoratus, pertingit. Quid mirum ergo, eum, progrediente tempore, structis sibi ad dignitates amplissimas gradibus, suo exemplo comprobasse, nihil tam alte esse constitutum, quo uirtus non possit eniti,

Sequitur nunc, ut, cur haec praefatus sim, indicem. Pietatis, SENATI AMPLISSIMO debitae, officio defuncturi, orationibus quibusdam, in Gymnasio castina luce habendis, et gratam mentem pro innumeris beneficiis, in Mulas collatis, PATRONIS testificabimur, et Deum orabimus immortalem, ut florere iubeat PATRES CONSCRIPTOS, ciues, totamque rempublicam.

In concionem prodibunt, partibus, sibi impositis, defuncturi tres alumni, et ingenii et generis nobilitate incluti,

*Andreas Gottlob de Eicke, Equ. Lus.*

*Mauritius Ferdinandus de Wilcke, Equ. Misn.*

*Johannes Ernestus de Teubern, Equ. Misn.*

quorum primus teutonice de philosophia eorum, qui rempublicam administrant, alter in Poetas latine, tertius pro poetis gallice dicet.

Rogamus obseruantissime Gymnasii Patronos, omnesque, qui bonas litteras amant, ut orationes has, pietatis uotorumque plenas, perbenigne audiant, nostroque faueant instituto.

P. P. Gorlicl, clō lō cc LIII, d. X Nov.

manni Synopsis Theologiae, vorher aber Martini Expositionem Symboli Apostolici, welcher mir sehr wohl gefiel, und den ich beständig werth gehalten, wie ich denn bis diese Stunde eine Liebe gegen dieienigen verspüre, daraus ich gelernet, was ich zu erlernen Lust hatte. Ex MSto.

